

Verbeia fl.
vel Nym-
pha.

V E R B E I Æ
S A C R V M
C L O D I V S
F R O N T O
P R Æ F. C O H.
I I L I N G O N.

Epist. 41.

Flumina enim, ut scribit Gildas, eo seculo Divinis honoribus à cæco Britannia populo cumulabantur. Araque illis olim erectas fuisse docet Seneca: Flumina, inquit, magnorum capita veneramur, subita ex abdito vasti annis eruptio aras habet. Et, Omnibus aquis, ut inquit Servius, sua præsidebant Nymphae. In Ecclesiae etiam pariete infixæ hæc mutilata inscriptio:

R V M C Æ S.
A V G. -----
A N T O N I N I
E T V E R I
I O V I D I L E C T I
C Æ C I L I V S
P R Æ F. C O H.

In ipsa autem Ecclesia dum diligenter monumenta antiquitatis Romanæ perquirerem, nihil occurrit nisi Adami *Midletoni* Militis armata è saxo effigies, qui floruisse videtur sub Edwardo Primo, cujus posteritas etiamnum hic in vicinia ad *Stubham* superest.

Orley.

Inferius *Orley* adfidet Archiepiscopi Eboracensis oppidum, sed nihil memorandum habet præter arduam & rigentem caudem, *Chevin* vocant, cui subjacet. Montis enim dorsum *Chevin* dicitur Britannis, unde dorsum illud montium perpetuum in Gallia, quæ olim illa eadem qua

Chevin.
Chevin
quid.

Gevenna.

Britanni usi sunt lingua, *Gevenna* & *Gebenna* fuit dicta. Postea ripis utrinque calce illa fecunda

Harewood.

quam *Limeston* vocant extructis *Harewood* præterfuit, ubi castrum vidimus nec inelegans, nec invalidum, quod pro temporum vicissitudine subinde Dominos mutavit. *Curciorum* olim fuit, sed per *Aliciam* hæredem devenit ad *Warinum Fitz-Gerold*, qui ipsam in uxorem duxerat, cujus filia & hæredum altera *Margeria* cum amplissimas fortunas haberet primum elocata est *Baldwino* de *Ripariis* Comitis Devonæ filio, qui ante patrem obiit, postea *Falcaſio* de *Brent* Regis Ioannis beneficio ob egregiam in direptionibus operam. Cum autem tandem *Isabella* de *Ripariis* Comitissa Devonæ sine sobole diem obiit, obtigit hoc castrum *Roberto* de *L'isle* filio *Warini*, ut consanguineo & alteri hæredum: demum per illos de *Aldbrough* ad *Ritheros* devenit, ut author est mihi *Fr. Thinn*, qui antiquitates Angliæ summa diligentia, magnoque iudicio jam diu est venatus. Nec tacendum quod huic vicinum *Gawthorpe*, unde effloruit *Gascoignorum* è *Gualconia* Galliæ, ut videtur, familia, quam sua vetustas & virtus plurimum in hoc tractu illustravit.

Placita r.
Ioan. Rot.
10. in D.
Monstr. le
droit 35.
E. 1.

Domini
de Insula,
sive *Lisle*.

Gasco-
igni.

Wetherby.

Tadcaster.

Hinc *Wetherby* alluit *Wberfus* oppidum mercatu fatis insigne, quod nihil antiqui omnino ostendit, præter locum sub ipso, Divæ *Helena* vadum nunc vocitant, ubi militaris Romanorum via flumen transivit. Inde per *Tadcaster* exiguum quidem

oppidulum defluit, quod tamen *CALCARIAM* fuisse ex distantia, soli natura, & nominis notatione non possum non sentire, & cum *Roberto Marshall* de *Bickerton* politi iudicii viro una consentire. Ad nonum enim milliæ Italicum ab Eboraco abest, uti *CALCARIAM* statuit Antoninus. Calx etiam quæ est cæmentorum ferrumen, & vix alibi in hoc tractu reperitur, hic copiose effoditur, & in ædificiorum usum Eboracum usque & in omnem regionem circumvicinam distrahitur. Cum autem calx illa Britannis, Saxonibusque olim, & Septentrionalibus Anglis *Calc* Romano nomine dicatur, (*Imperiosa enim illa civitas non solum jugum, sed etiam linguam suam domitis gentibus imposuit*) & *Calcarienses* in Codice Theodosii dicantur, qui sunt calcis excoctores, non absurdum videatur, si nominis ratio à calce petatur, uti *Chalcis* ab ære, *Ammon* à fabulo, *Pteleon* ab ulmis, & *Calcaria* urbs *Cliviæ* fortasse à calce nomina acceperunt: maxime cum etiam *Calca-cester* Bedæ dicatur, ubi meminit *Heinam* mulierem, quæ prima in hac regione Sanctimonialis vestem suscepit, ad hanc civitatem secessisse, & mansionem sibi instituisse. Præterea collis ad oppidum *Kalbar* dicitur, in quo antiqui nominis nonnihil subest. Nec defunt alia vetustatis argumenta, ut enim situm ad viam Consularem omitam, Romanorum Cæsarum nummi sæpe effodiuntur, fossarum quibus ambiebatur vestigia, & vetusti castri area superest, è cujus reliquiis non ante multos annos pons erat constructus, quem cum *Wberfus* subierit, jam sedatior aquas suas *Ouse* confundit. Et sane mihi neutiquam admiratione indignum videtur, quod *Wberf* tot aquis adauctus æstivo tempore tam tenuis sub hoc defluat, ut quidam adulta jam ætate cum huc venisset lepide cecinerit.

Calcaria.

Calcari-
enses.

De Decu-
rionibus

L. 27.

Lingua

Romana

in Provin-

ciis.

Augustin.

lib. 19. de

Civitate

Dei.

*Nil Tadcaster habet Musis vel carmine dignum,
Præter magnifice structum sine flumine pontem.*

Itinera-
rium T.

Edes.

Hiberno autem tempore si venisset, tantum pontem tot aquis vix capacem vidisset. Sed norunt Physici pro calore vel frigore extra vel intra grassante, fontes & fluvios vel decreſcere vel augeri.

Superius *Nidus* fluvius faculentior è radicibus *Crædemiorum* montium primum per *Nidberdale* vallem à se denominatam, sylvis coronatus descendit, inde per *Rippley* mercatum aquas ducit, ubi *Inglebejorum* familia, ut magna antiquitate, ita multo splendore floruit. Postea *Gnaresburg*, vulgo *Knarsborrow* castrum rupi asperrimæ impositum, unde & nomen inditum, profundo suo alveo communit, quod *Serlonem* de *Burgo* patrum *Eustacii Vesce* condidisse ferunt, postea *Estotrevilli* sedes erat, nunc vero patrimonii *Lancastrensis* censetur. Sub quo fons est, in quem non è terræ venis aquæ scaturiunt, sed ex impendentibus rupibus guttatim distillant, unde *Dropping Well* vocant, in quem quicquid ligni immititur, lapideo cortice brevi obduci, & lapidescere observatum est. In agro vero vicino *glycyrrhiza* læte provenit, & marga illa flavior & mollior reperitur, quæ ad terræ fertilitatem plurimum juvat. *Forrestæ* autem adjacenti præfuit olim *Custos Gamellus* quidam, cujus posterii ab habitatione ad *Screven* nomen de *Screven* assumpserunt,

Nid fl.

Rippley.

*Knarsbor-
row Castle.*

Dropping

Well.

Fons li-

gnum in

saxa con-

vertens.